



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VIII. Monasteria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

râ dimissâ uxorem duxerit, eam retinere cogatur : si tamen virginem acceperit, & monogomus sit, atque Ecclesiâ seruiat, iterum tonderi debet, ut canonicis & fori Clericalis privilegio gaudere possit. De qua re dixi *lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 3. n. 2.* & dicitur infra *c. Ioannes, 7. de Clericis conjugatis.*

CAPITULUM VII.

Clericus.

SI Clerici comam, vel barbam nutriant, ab Archidiacono etiam inviti tonderi debent. Ita rescriptit Alex. 3. Papa ad Cantuariensem Archiepiscopum, & consentit *Capitulum Clericus. 5. h. tit.*

CAPITULUM VIII.

Monasteria.

PARAPHRASIS.

Qui sanctimonialium Monasteria absque rationabili, & manifesta causa frequentare præsumpsit, per Episcopum prohibeatur : si verò non destiterit, & Clericus sit, ab officio Ecclesiastico suspendatur ; si Laicus sit, excommunicetur.

DE hac reagit Bonifacius VIII. in *c. 1. de statu Regularium in 6.* quam constitutionem innovavit, & additâ censurâ auxit *Trident. sess. 25. c. 5. de regularib.* ita, ut hodie nemini sub excommunicationis censura ipso facto incurrenda, cujuscunque conditionis, aut sexûs fuerit, intra septa Monasterij Monialium ingredi liceat, absque facultate, in scripto impetrata, ab Episcopo, aliòve superiore, cui Monasterium subiectum est, quam licentiam ipse mutare non possit, nisi in casibus necessarijs. Explicavi hanc constitutionem *lib. 4. tra. 5. c. 12.*

CAPITULUM IX.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius VIII. Clericos quorundam Ecclesiarum Collegiarum dissolutè vivere, ideò auctoritate Apostolica statuit, quòd Episcopi eorum, Ecclesiarum facultatibus, proventibus, & expensis diligenter inspectis, ponere possint in ijs sacris Collegijs certum numerum Clericorum, & decernere, ut bona eorum in communi possideantur, in una domo degant, ac vescantur ; siqui verò contradictores fuerint, liceat ipsis Episcopis, per suspensionem ab officio, & beneficio, vel si opus fuerit, per graviores poenam, Clericos ad observationem compellere, remota appellatione. Concedit quoque eisdem Episcopis, ut si quisquam eorum, qui in communi vivunt, ob manus injectionem in socium Clericum, Canonicis excommunicationem incurrerit, talem absolvere, & reconciliare possint, nisi facti atrocitas aliud exposcat.

SUMMARIUM.

1. Quòd olim seculares etiam Canonici sub uno superiore in communi viverent, hic & alibi habetur.
2. Certus numerus in Ecclesia statuendus est, juxta proportionem reddituum.
3. Percussiones se invicem sive in communi viventes Clerici, ab Episcopo proprio absolvi possunt, nisi atrocis sit percussio.

NOTandum primò, olim etiam seculares Canonici, in collegijs simul sub Præposito, & Decanis debebant, certâ ipsis vivendi regulâ constitutâ, unde & Canonici, id est, regulares dicti sunt. Constat hoc ex *Concil. Turonensi 3. sub Leone 7. tempore Caroli Magni celebrato. c. 23.* Ubi de Clericis civitatum, qui in Episcopis